[Cromwell, Oliver, Ld. Protector]

DECLARATIO Oliveri Cromwelli Præfecti Exercituum pro REPUB.

ET


Conſilii ſui Militaris;

Exhibens fundamenta, & cauſſas *Diſſolutionis* nuperi *Parlamenti.*

Ex Anglicano Sermone in Latinum traducta.

LONDINI,

Typis *Guilielmi Du-Gard.* 1653.



DECLARATIO Oliverii Cromwelli Præfecti Exercituum pro REPUB. ET *Conſilii* ſui *Militaris*.

NOn eſt id præſens inſtitutum noſtrum, rem ab initio repetere, rationéſque percenſere, quibus moti & inducti, arma inprimis ſumpſimus, vitámque noſtram & quicquid uſpiam charum fuit, huic *Cauſæ* impendimus. Neque illud impræſentiarum agimus, quo varias & multiplices divinæ Providentiæ Diſpenſationes, per quas ducti fuimus, ſigillatim recolamus;

lamus; aut in memoriam revocemus, quoties nobis adſtipulatus eſt Deus, & quàm luculenta benevolæ ſuæ acceptationis teſtimonia ſinceris immerentium ſuorum ſervorum conatibus adhibuit; interea dum illi multis magníſque difficultatibus colluctabantur, tam belli, quàm domi inter curas & negotiá trium Nationum. A *Neceſſitate* quandoque impulſi, quò melius eandem *Cauſam*, quam primùm aſſeruere, tuerentur, ad inuſitata & extraordinaria provocare; quæ omnia ex ante editis Declarationibus abundè ſatìs innoteſcant.

Poſtquam Deo viſum eſſet, non modò *Hiberniam* recuperare, *Scotiám*que inſuper adjicere, verumetiam ad *Wigorniam* non ſine ſingulari Numinis præſentiâ, & quadam Emphaſi Providentiæ *Populi ſui partes agere*; unde non levis Pax in iis Nationibus ſequuta erat, & *Anglia* perfectæ quieti reddita; Adeóque Parlamento pulcra ſeſe obtulit occaſio de Repub. bene merendi, tantíque ſanguinis & ſudoris, támque ſumptuoſæ ſementis vindemiam & meſſem populo retribuendi, juſtæque libertatis tam in Civilibus quàm in Spiritualibus conſtabiliendæ; quæ quidem & *officia*, & *promiſſa ſua*, & *mirabilia*, quæ Deus pro iis operatus erat, jure meritóque poſtulabant. Non levis dolor viros cordatos, & beneaffectos inſedit, dum indies animadverterent, quàm frigidè & lentè hæc procederent; ideóque ad *Exercitum* contendebant, adjutrices ejus manus implorantes, quò meliùs in poſterum eorum rebus conſuleretur. At cùm Exercitus ad ſe iis immiſcendum, quæ ad Civilem Curiam propriiſſimè ſpectant, non niſi illibenter & invitò adigeretur; in hoc tandem con-

conſenſum eſt, Excellentiam ſuam, cæteróſque rei militaris præfectos, qui unà ex Ordine & Numero Parlamenti erant, exorandos eſſe, ut Parlamento ſuaſores aſſiſterent & hortatores eorum quæ in Regimine depravata erant in melius collocandorum, utque Rei-pub. ſuper Juſtitiæ & Rectitudinis Baſi firmandæ unicè & ſtrenuè incumberent. Quod cùm à nobis factum eſſet, Conſilia maturiùs inita fore ſperantibus, nihil minus à Parlamento exſpectavimus, quàm ut ſpe vanâ lactaremur. At poſtquam cum dolore perſentiſceremus, ab eo moras inutiliter necti, iterum renovavimus noſtra deſideria, ſupplicem libellum ultimo *Auguſti* ei exhibentes, quem licèt id temporis in bonam partem ab iis accipi præ ſe ferebant, gratias hac de re nobis referentes, & Capitula rerum propoſitarum Delegatis à Domo ſuâ perpendenda transmittentes, nihil tamen indè memoratu dignum ſubſecutum eſt, néve talis factus eſt progreſſus, qui ullatenus teſtaretur ſe id ſeriò velle perficere quod rogabatur; quin è contra noſtrorum poſtulatorum certa quædam averſatio magìs magíſque indies inter eos apparuit, non ſine amarulentia & inimicitia contra Dei Populum ſubinde ſe prodentibus; quæ uſque adeò increverant, ut integerrimi illi viri & maximè honorandi, qui tam antè, quàm durante bello, pro Deo bonóque publico tam eminenter ſe totos devoviſſent, ad cætera inutiles in Parlamento facti eſſent, præterquam unà cum *prava Factione* conveniendo, ad Autoritatem iis ſuâ præſentiâ conciliandam, quò meliùs ſuis commodis velificarentur, atque id effectum darent, cui præ reliquis ſtudebant, nempe

 ut

ut *Summum Imperium indeſinenter* & *perpetuò ſibimet continuarent*. Atque eundem in finem dicta Factio novæ Populi *Repræſentativa* diu ſe opponere non deſtitit, donec coacta demum ſchedulam illam ſive *Billam* in conſiderationem admittere, ut nunc aſtu eluderent quod priùs impedire non poterant, eâ hunc in finem utì fruíque apud ſe ſtatuunt, nempe ut viri ſuorum ſimillimi locis in Domo vacuis ſuccenturientur, adeóque ſuus ipſorum Conſeſſus perpetuaretur. Quod quidem conſilium nonnulli ex eorum præfervidis & promptioribus nequaquam occultabant, quinimo ad ei aſſentiendum alios pellicere ſatagebant; quódque ut effectum ſuum ſortiretur, plurimæ Petitiones in diverſis Comitatibus ob Continuationem hujus Parlamenti ab eorum nonnullis, ſi non progenitæ fuerint, erant ſaltem enutritæ, iiſdémque ſi non ortum, debent tamen incrementum.

Quò hiſce malis obviàm iretur, *Ductores Exercitûs* plurimi[os] cum nonnullis è Parlamento congreſſus impetrârunt, in commune deliberaturi, quâ commodiſſimâ ratione præverterentur. At poſtquam omnes noſtri conatus irriti facti eſſent & fruſtranei, Exercitui tandem pro comperto erat, ſicut omnibus prudentibus & æquis rerum æſtimatoribus manifeſtum eſſe confidunt, *Parlamentum* hoc per nonnullorum *pravitatem* & *corruptelas*, aliorum perverſas *ſuſpiciones*, plurimorum *incuriam* & *negligentias*, ea minimè præſtiturum, quæ Deus, Populúſque ſuus, totáque Natio ab eo multum diúque exſpectârant; quinimo fore, ut hæc *Cauſa*, cui plurimum benedixit Dominus, quámque ſuo ſuffragio ſæpius comprobavit,

probavit, ſub eorum manibus langueſceret, & ſenſim expiraret; Vitáque, libertates, & ſolatia populi ſui in inimicorum manus traderentur.

Quibus omnibus ab *Exercitu*, & *Conſultioribus Populi* hujus Nationis ſeriò mœſtéque perpenſis, & fuſis ad Deum precibus ut ſapientiam cordibus noſtris inſpiraret, greſſúſque dirigeret, officii noſtri eſſe duximus, qui tantum potentiæ & præſentiæ divinæ unà nobiſcum euntis experti ſumus, efficaciora aliqua remedia perquirere, ad eam *Cauſam* tutandam, in qua boni & cordati viri hujus Reipub. tam diu colligati fuere, & ad *Juſtitiam* unà cum *Pace* in his Nationibus conſtabiliendam.

Poſt multas altercationes neceſſarium adjudicatum erat, & in hanc ſententiam itum, quòd *ſumma rerum* & *Autoritas ſuprema*, ad viros bene notos, timentes Dei, & ſpectatæ integritatis, à Parlamento deferretur, Reipub. regimine pro tempore illorum fidei concredito; quæ ratio expeditiſſima viſa eſt, ad protegendum Dei populum, eíque vires addendas, ad Legem reformandam, & Juſtitiam unicuique citra reſpectum adminiſtrandam. Atque indè ſpes affulgebat Populum poſſe *Monarchiam* oblíviſci, atque intelligere quid è re ſua foret in futuris Parlamentis eligendis, atque ità demum Regimen ſuper verâ Baſi firmaretur, abſque periclitatione glorioſæ hujus Cauſæ, vel Exercituum Ope, qui in illius defenſionis diutiùs alerentur.

Et cûm adhuc immoti perſiſteremus, nulli operæ parcentes, quò minùs ad extraordinaria recurratur, à *viginti* circiter è Parlamenti numero impetravimus, ut *collationem* nobiſcum inſtituerent, quibuſcum *Ne-*

ceſſitatem & *æquitatem* eorum quæ à nobis proponebantur, liberè & amicè diſceptavimus; & liquidò evicimus, ea fuiſſe, non Decretum illud ſive *Actum*, quod ſub incude & præ manibus eorum tunc erat, quæ maximè probabiliter tale quippiam erant productura, quod ſimilitudinem aliquam & conformitatem illi Operi haberet, cujus fundamenta ipſe Deus locavit, & adhuc in mundo exequitur.

Quæ tamen cùm ſurdis auribus exciperentur, atque ex altera parte proponeretur conſultiſſimum eſſe præſens hoc Parlamentum continuare, à quo bona omnia rationabiliter exſpectari poterant, & cùm hoc vehementer urgeretur, plurimum hinc roboris noſtræ ſententiæ acceſſit, quam priùs imbiberamus, id quod ab iis dictum erat non ex Amore *Repræſentativa* profluxiſſe, ſed ut eam privatis ſuis rebus accommodarent, dum alios in abſentium relictas provincias cooptando, Imperium ſibimetipſis prorogarent, atque hunc in ſcopum conſilia ſua collimâſſe.

Cum hac de re apertè cum iis ageretur, & diſertis verbis reſponderetur, neque Nationem, nec *Probitatis Cauſam,* néve noſmetipſos talibus artificiis velle deluſum iri; dies craſtinus poſt meridiem alteri conventui datus eſt, quò melius utrinque ſatiſfactum foret; pollicentibus iis è Parlamento, qui tunc aderant, eorum conatus minimè defuturos, nè interea temporis quicquam à Parlamento decerneretur, quod antedicta Propoſita intercipere poſſit aut evacuare.

Nihilominus tamen Parlamentum proximo manè in prædicto ſuo *Acto* procudendo ſolito magìs feſtinabat,

nabat,

nabat, nemine omnium qui interfuere contranitenſe, quin & adjuvantibus nonnullis, ex eorum numero, qui nocte præcedente fidem ſuam nobis in contrarium obſtrinxerant. Et nunc ad extrema ſuffragia ultimámque diſquiſitionem deventum erat, de iſthoc *Acto* figendo & ratum faciendo, quo facto, omnia quæ à nobis propoſita erant incaſſùm eſſent, omníſque iis aditus ad juſtum in Parlamento examen præcluſus.

Ad quod antevertendum, omniáque quæ exinde ſequutura erant mala, unde periculum bonis omnibus, & huic *glorioſæ Cauſæ* imminebat; quæ, metuendum erat, nè uno ictu ſucciſa decumberet, atque hæ Nationes novis motibus agitarentur, quo tempore hoſtes extranei ſuis occaſionibus invigilant noſtris infortuniis libenter fruituri, & nonnulli bella nobiſcum actu gerunt; extremâ cogente *Neceſsitate* inviti admodum & reluctantes *huic Parlamento finem impoſuimus*. Quod tamen, uti ſperamus, ex ſincero corde fecimus, Cauſam hanc noſtris Nominibus, vitæ, familiis, rebúſque quantumvis clariſsimis, anteferentes; certò nobiſcum ſtatuentes, *Viros ſpectatæ fidelitatis, & probitatis Reipub. gubernaculo admovere*; credentes, ſicut nemo ſapiens exſpectat uvas è ſpinis decerpere, ità ſperabunt boni hujuſmodi viris ad regendum Electis & Evocatis, fore, ut fructus juſtæ reformationis diu multúmque precibus petitæ, Deo benedicente, ſuo tempore colligantur; in eorum omnium refrigerium, qui magnis votis hæc ſuſpirârunt.

Multò plura potuimus congerere, ſi id à nobis ageretur, aliis inſpergendo labem, & malam Rei-pub.

 admi-

adminiſtrationem palàm Omnibus propinando, æquitatis & juſtitiæ nomen Actionibus noſtris comparare. Sed iis ſuperſedentes, in hoc tantummodo deſinemus, quòd ſicut *Neceſsitate* & *Providentiâ* præeuntibus, ad ea ducti fuimus, quæ modò fecimus, ultra ſupráque cogitata noſtra & deſideria: ità quod reliquum eſt magni hujus Operis, in eo exequendo, totos nos Domino & cœleſti ſuæ benedictioni reſignamus, & ſemper reſignabimus; palàm profitentes, nos nè unum momentum poſſe conſiſtere, ultra quàm ipſe pedes noſtros firmaverit: multò minùs ea de quibus adhuc mentio facta fuit, quorum meſſis in ſpe & herbâ viridi, abſque illius ope & adminiculo poſſe perficere. Quocirca omnes & ſingulos publicè & ſolenniter obteſtamur, ab iis id exſpectantes, quòd ſicut *Dominum* in eorum ruinam provocare nollent, ità illum exitum, ad quem ipſe res deducturus eſt, præſtolarentur: útque quietis & ſedatis animis negotia ſua pertractarent, in quibus obeundis *Protectionem* & *Securitatem*, per Dei aſſiſtentiam, iis pollicemur.

Quantum ad eos, qui timorem ſuum & Amorem erga Dei nomen profitentur, quandoquidem ut plurimum eorum gratiâ & juſtitiæ cauſâ in his perpetrandis vitæ noſtræ pericula inivimus, ab iis petimus, ut apud Dominum nocte diéque pro nobis intercederent, quò ab eo gratiam obtineamus. Et cùm ſæpius Nominis ejus mentionem fecimus, nè vel tantillo dedecore illud afficiamus, quæ res nos ad extremum everteret, & inſignem pietatis profeſsioni maculam affricaret.

Eos itaque hortamur, ut cum omni ſubmiſsione animi, manſuetudine, juſtitiâ, charitate, ad ſe invicem, & erga

erga genus humanum, ſeſe gererent; indè facturi ut ignorantia ſtultorum, eos falſi incuſantium, obmuteſcat; utque penitùs cognoſcerent, ſe ex his nuperis magnis & glorioſis Diſpenſationibus, in quibus Deus tam mirabiliter ſe conſpiciendum dedit, tanta hæc per ſudorem & ſanguinem filiorum ſuorum operatus, eò firmiûs teneri & obligari, ad vitam ſuam in ſapientia & amore Chriſti ità ordinandam, ut dum viderint alii Chriſtum, non verbo tenus magìs quàm reapſe, iis ineſſe, honos & reverentia piæ ſuorum profeſsioni aliunde concilientur.

In animo nobis eſt, intra breve particulatim magìs & expreſsè monſtrare fundamenta hujus facti, & copioſiùs exponere tam inſignis mutationis & Actionis cauſas, quibus hac in chartula tantummodo digitum intendimus.

Atque ultimò declaramus, quòd omnes Judices, Vice-comites, Juſticiarii pacis, Prætores, Ballivi, Commiſsionatus, & Commiſſarii, cæteríque civiles officiales, & Miniſtri publici quicunque intra hanc Rem-pub. vel aliquam ex ejus Ditionibus, in officiis & reſpectivis ſuis muneribus obeundis progrediantur; omnéſque & ſingulæ perſonæ, cujuſcunque gradûs fuerint, eandem iis obedientiam præſtanto, quam durante Parlamento præſtitere.

Signatum Nomine, & Mandato Excellentiæ ſuæ, & Conſilii ſui Militaris.

Albæ-Aulæ 22do Aprilis, 1653.

GUILIELM. MALYN, *Secret.*

$7.2M
Howe 4
10-16-41
37783-V